

Baptismi , & Sacramentum Eucharistie intercedit hæc est , quod illud quidem hominem filium iræ , & perditionis supponit , hoc vero Christianum jam justificatum desideret , juxta Apostoli verba : *Probet autem seipsum homo Ec.* unde sequitur , Baptismum necessarium necessitate medii , Eucharistiam vero necessitate præcepit .

C A P U T T E R T I U M .

De Baptismo parvolorum aduersus Anabaptistas.

§. XIV. **E**X illa , quam comprobavimus summa Baptismi necessitate , sequitur , nec parvulos recens natos arcendos esse a Baptismo , eo vel maxime quia in tam tenera ætate pluribus periculis obnoxios , contingere posset si ne Baptismi Sacramento ex hac vita migrare , & in æternum , in pœnam originalis culpæ , intuitiva Dei visione privari , ac perire ; quam enim felicitatem habere posset imago Dei , seclusa a vultu veri Dei , in qua visione consistit omne verum , & incommutabile bonum ? hinc ex Aposiolica Traditione infantes , Baptismi suscipiendi capaces semper judicavit Ecclesia , & salutari lavacio illos regenerare festinavit . Non detuerunt tamen , jam a quinto Ecclesiæ sœculo , qui parvolorum Baptismum improbarent ; omnium vero hæreticorum audaciam , & in pietatem XVI. Ecclesiæ sœculo superasse Anabaptistas , historici omnes consentiunt . Sic dicti sunt , quia nulla habita ratione Baptismi in infantia recepti , denuo adultos trigesimo ætatis anno baptizabant . Eadem hæresi nomen dedit Michael Servetus , qui in fine Libri de regeneratione scribit : *Puerorum Baptisma esse horrendam abominationem , Spiritus Sancti extinctionem , Regni Christi conculationem Ec.* Serveto adhaeserunt Sociniani , qui apud Transilvanos anno 1567. duos Libros ediderunt contra Trinitatem , & Incarnationem , ad quorum calcem 39. argumenta contra padobaptismum subjunxerunt , ex quibus argumentis Socinianorum singularem dissertationem suam adornavit , vir cæteroquin eruditus , Antonius Wandalus .